

**05**

**A**

**493**









I. N. J. C. C.

12

THEORIA PLENIOR  
**ANGELORUM**

*sistens*  
eorundem naturam, quâ momentum  
primum, quâ secundum

*Quæ*

P R E S I D E

*VIRO Præcellenti atq; Præclarissimo*

**DN. M. GEORGIO WAGNERO**

Colleg. Phil. Adjunct.

à  
**JOHANNÉ BRIESMANNO**

Luccâ-Lusat.

*Amicæ philosophantium collationi*

*d. 29. Jun. Ann: M. DC. LXVII.*

In Auditorio Majori, horis consvetis  
subjicitur.

---

WITTENBERGÆ,

In Officinâ Typographica FINGELIANA scripsit MICHAEL MEYER,  
ANNO clō lōc LXVII.



V I R I S  
VERA GENERIS NOBILITATE ET AUTO-  
RITATE MAXIMA CONSPICUIS, JUDICIO ATQVE  
PRUDENTIA GRAVISSIMIS, VIRTUTUM ET ERUDITIO-  
NIS CELEBRITATE NOMINATISSIMIS, MUL-  
TOQVE RERUM USU EXPERIEN-  
TISSIMIS.

D N N. C O N S U L I B U S  
CÆTERISQVE AMPLISSIMI ORDINIS SENATORII  
ASSESSORIBUS  
INCLUTÆ GORLICENSIIUM REIPUBLICÆ  
DIGNISSIMIS, LAUDATISSIMIS

MOECENATIBUS, PATRONIS AC PROMOTORIBUS SUIIS  
OPTIMIS MAXIMIS

Dissertationem hanc Academicam  
*In Pietatis & Observantia debita Symbolum,  
studiorumq; ulteriorem commendationem,  
quo par est, venerabundo submissog;  
animo*


offert



05 A 493

Johannes Briesmannus  
Autor & Respondens.





Incipe, effice, perfice mi Jesu!

PRÆFAMEN.

**E**A est intellectus nostri conditio, ut, quò naturæ suæ convenientius & proximius ad eandem accedens objectum assequi potest, eò majori cum voluptate istud pensitet. Hinc cum spiritualis ipse sit naturæ, spirituales quoque contemplationem quàm impensissimè desiderat. Nunc cum Mentis absolutæ egregiam mentis nostræ conformitatem referant, inde neque gratius, neque amabilius intellectui nostro sibi potest Objectum, quàm quidem Angelorum natura, unà cum illis, quæ ex naturâ Angelicâ redundare solent. Hoc proinde pabulum intellectui in præsentem non denegabimus, sed, DEO triuno clementissimè prosperante atque juvante, pleniorum Angelorum contemplationem suscipiemus, *tribus sectionibus* omnem rem expedituri. **JESUS** salutaria cogitata atque verba; salutarem ingressum; progressum pariter atque egressum propter suum sanctiss. Meritum benignissimè nobis concedat! Amen.

SECT. I. DOGMATICA,  
exhibens.

*Essentialia Angelorum tum constitutiva, tum consecutiva.*

DOGMA I.

*Angelus est Spiritus finitus completus.*

Exθ.

I. *Ad subjectum.*

§. 1. Cum omnis Propositio definitiva constet suo *cum subjecto* quod alàs venit nomine *Definiti*: tum *Prædicato*, quod definitio, dici consuevit: non immeritò circa præsentem Angeli λόγον τῆς εἰσίας respicimus p. *ad Nominalem* p. *ad Realem* Definitionem. Solet autem subjectum definitivæ orationis exigere evolutionem tum *Ety. mologia*: tum *Homonymia*: tum *Synonymia*.

§. 2. *Etymologia* Angeli id importat, quòd vox Angeli ἀπὸ τῆς ἀγγέλειν derivata, quæ suam primam originem, in Græcia sit nata, de-

A 2

ta, de-



ta, designans *Nuncium, Legatum*: quâ subseqvam autem usurpationem, in Latium migraverit, & *Intelligentiam substantialem* significare cœperit. Quare vox Angeli nunc potius penes Philosophos est nomen *Natura*, quàm *officii*. Quamquam verò vocula Angeli potius à Christianis, quàm ab Ethnicis usurpatur: tamen ab eâdem non abhorruerunt Gentiles. Hinc Trismegistus denotaturus *spiritum dependentem*, eundemq; *malum*, vocem mali *Angeli* adhibuit. Vid. B. Scheibl. l. 2. Met. p. m. 348. Et Porphyrius Phœnix Autor ille πεντὲ Φωνῶν in Isagoge, vocem Angeli pro Genio usurpavit. Confer Tertull. Apol. advers. Gentes c. 22, Lact. l. 1. c. 7. Lipsius in Phys. in Physiol. Stoic. l. 1. Dissert. 18.

§. 3. *Homonymia*, expositura variam vocis Angeli significationem deposcit, ut dicatur, terminum Angeli jam non accipi in *sensu Theologico*, in quantum Angelus designat Angelum l. *in creatum*, videl. Filium Dei, l. *creatum*, spiritum illum, tum Dei, tum hominis administratorium: sed in *sensu Philosophico*, prout ejus cognitio, non ex lumine *Scripturae*, sed *Natura* innotescit. Hoc autem modo vox Angeli sumpta, in præsentia non notat Angelum *determinatè* l. pro bono l. pro malo Angelo vel pro numerico esse Angeli acceptum: sed *indeterminatè & in communi*, pro abstractâ Angeli essentiâ sumptum.

§. 4. *Synonymia* æquipollentes vocabulo Angeli appellationes sistit. Appellatur autem Angelus, tum Ebræo, tum Græco, tum Latino, tum Germanico Nomine. (1) *Ebraicè* Angelus dicitur מַלְאָךְ à Radice Ebræis nunc inusitata מִלַּךְ Cujus significatio ex cognatâ Lingva, ubi in 1. Conjug. notat *mittere*, in aliis *servire*, designat, est addiscenda. vid. Magnif. Dn. D. Calov. Syst. T. IV. p. 3. it: שְׂכָל Intelligentia. Frequentior tamen est *pluralis* מַלְאָכִים Intelligentiæ, mentes Angelicæ, quàm singularis numerus Rabbinis. it: מַלְאָכֵי הַשָּׁרָי Angelii ministerii. Ut ut quoad postremam appellationem, diffiteri nequeamus, eandem potius ad bonos, quàm ad omnes Angelos denotandos, ab Ebræis adhiberi. (2) *Græcè* ἄγγελοι it: δαίμονες q. d. δαήμονες *scientes & sapientes*, eò quod excellenti scientiâ polleant. 3. *Latinè* (a) *Intelligentiæ*, ab intellectûs perfectione, quia Angeli post Deum, maximo præditi sunt intellectu. Accipitur autem hæc vocula non in *sensu accidentali* l. *pro habitu*



bitu Primorum Principiorum; quemadmodum & ipse nomine intelligentiæ venire solet. 1. *pro potentiâ Spiritûs finiti naturali*: sed in sensu *substantiali*: neq; tamen sic *eminenter* & *μονοτρόπως*, quomodo intellectus & essentia realiter identificantur; Atq; ita intelligentia in solum Deum cadit: sed *vulgariter* pro substantia spiritali completa. Deinde (β) dicuntur *Genii* ab officio. Genium n. antiqui appellabant naturalem cujusq; loci l. rei l. hominis Deum. In genere *Genii* credebantur præsides, inspectores & custodes hominum, boni & mali, quales apud nos sunt Angeli, inquit B. Scharf. in *Pneumat*: p. 340. (γ) *Mentes*, denominatione & proportionem à mente hominis petita. Angeli enim sicut mens hominis est intellectualis naturæ, intellectuales, tum affectiones, tum effectiones citra ministerium membrorum aut sensuum, sustinent. (4) *Spiritus* inter Deum & homines medii. (5) substantiæ immateriales s. spirituales &c: 4. *Germanicè*. Engel/erschaffene Geister/ quarum denominationum ratio partim ex superioribus petenda; Cum Engel à Latino Angelus descendere videatur p. per se patet. Solent iidem Spiritus à dilectis nostræ Patriæ Civibus etiam vocari *Srongeister* à functione eorundem videl: cum & Deo & hominibus inserviant. Appellationes Biblicas, quarum non exiguus numerus adduci posset, de industria, memores fori Philosophici, nunc omittimus.

## II. *Ad Predicat*:

§. 1. Angelorum & *Existentiæ* & *Essentiæ* solet circa realem definitionem expendi. Verùm, cum *Pneumatica* sit particularis disciplina supponens suum objectum, quod est Spiritus à spiritu infinito & finito præcisus, in *Metaphysica* probatum: ideo ista operâ, quæ probandæ Angelorum existentiæ erat impendenda, nunc supersecentes ad essentiam ipsorum explicandam convertimur.

§. 2. Sistitur autem ista per duos *conceptûs quidditativos, unum determinabilem: alterum determinantem*.

§. 3. (α) *Conceptus determinabilis est Spiritus finitus*. Remotus itaq; conceptus latior est *Spiritus*. Finitur autem *per spiritum*, quia quidditas Spiritûs verè convenit Angelo. Proximus conceptus latior est *τὸ finitum*: cum Angelus & *in essendo* & *in afficiendo* & *in operando* finitatem obtineat.

§. 4. (β) *Conceptus determinans* absolvitur unâ voce, *Comple-*



*ius.* Intelligentia enim non ordinatur per se ad perfectionem alterius, sed in se terminatam, tùm essentiam, tùm subsistentiã sustinet.

§. 5. Sicut verò in multis aliis ita quoque in præsentí definitione, pro dolor dolemus ignorantiam propriæ ac specificæ differentiæ. Quandoquidem quod per  $\omega$  completum nõ absolvatur propria Angeliratio, vel inde dispalescit, quia illud solummodo *materialem & communem* dicit Spiritus quidditatem. Ratio quippe completi potius ad esse substantiæ spectat & extrinsecum quid infert, quam ut Angelum in proprio esse constituere possit. Licet enim partes alicujus rei sint entia incompleta, propriã tamen gaudent quidditate, adeo ut ipsorum incompletio non obstet propriæ rationi. Et si completio esset differentia rerum essentialis, quorumlibet corporum differentias nossemus, cum tamen omnes eheu, præter hominis, nos lateant. Relinquitur ergò  $\omega$  completum respectu Angeli saltem dicere communem & accidentalem differentiam, quã quidem Angelus à spiritu infinito & finito incompleto discernatur, in proprio autem esse non constituatur.

#### DOGMA II.

*Attributa Angelorum sunt attributa Spiritus finiti, quæ ex essentiã Angelicã per se fluunt.*

##### I. Ad Subjectum. ΕΝΘΕΟΣ.

§. 1. Vox attributi jam non accipitur *signatè*, prout præcise per definitionem atq; divisionẽ, citra intuitum ad rem substratam expenditur; sed *exercitè*, in quantum ad certũ subjectum applicatur. Neq; tamen hoc modo accipitur *eminenter*, prout vox attributi appropriatur eminentissimo enti, quod est Deus: sed *vulgariter*, quatenus rei creatæ, & in specie, Angelicæ naturæ, accommodatur.

##### II. Ad Prædicatum.

§. 2. (1) *Conceptus Genericus alius est remotus: alius propinquus.* (a) *Remotus est Attributa.* Ratio enim Attributorum his Angelorum propriis verè assignari potest, cum ipsa sint tales conceptus, qui essentialiter, at per se attribuuntur essentiæ Angelicæ. (b) *Propinquus est Attributa Spiritus finiti.* Nam per voces *Spiritus finiti*,  $\omega$  *attributum* proximius limitatur ad proprietates Angelorum. Corpori enim quoque competunt attributa: Spiritus infinitus itidem suis gaudet attributis. Neq; Spiritui finito sua desunt attributa. Jam verò



verò inter Angelum & inter Spiritum finitum, nihil mediat. Et sicut momentum secundum, sequitur momentum primum: ita essentiam Spiritus finiti, sequuntur propria Spiritus finiti: essentiam Angeli sequuntur attributa Angeli.

§. 3. (2) *Conceptus strictior* absolvitur suo, tum *materiali*, tum *formali*. (α) *Materialis* est essentia Angelica. Accidentia enim mentione suorum subjectorum sunt finienda. (β) *Formale* Consistit in *necessaria consecratione s. emanatione*; quam inferunt voculæ, *per se fluunt*. Ubi tò *per se*, non *primum*, sed *secundum* perfectitatis modum, insinuat: id quod comprobat adjuncta vox, *fluunt ex*: omne enim quod ex alio fluit, posterius est eo, ex quo fluit.

### DOGMA III.

*Attributa Angelorum alia sunt Immediata alia Mediata.*

*Exd.*

§. 1. *Immediata sunt, quæ citra alterius interventum ex Angelicâ essentia resultant.* Quælibet censentur. 1. *Actualitas*. 2. *Vita*. 3. *Compositio*. 4. *Inextensio*. 5. *Insensibilitas*. 6. *Illocalitas*. 7. *Intemporalitas*. 8. *Multi-rudo*. 9. *Ævum*. 10. *Alicubitas*.

§. 2. *Mediata sunt quæ alio interveniente Angelis tribuuntur.* Suntq; 1. *Intellectus s. scientia*. 2. *Voluntas*. 3. *Immobilitas*. 4. *Indivisibilitas*. 5. *Potentia agendi*. 6. *Potentia loquendi*. 7. *Diversitas*.

### DOGMA IV.

*Actualitas est Attributum Angeli immediatum, quo ipse respuit potentiam passivam materie propriam*

*Exd.*

#### *I. Ad Subjectum.*

§. 1. *Actualitas*, jam non accipitur *Metaphysicè*, vel pro abstracto Entis actualis: vel pro alterutro membro affectionis disjunctæ, in quantum opponitur *Potentia*: sed *Pneumaticè*: atq; sic, non in sensu eminentissimo, prout designat Spiritus infiniti actualitatem absolutam; sed in sensu vulgato, quatenus notat Spiritus finiti actualitatem respectivam.

#### *II. Ad Prædicatum.*

§. 2. (1) *Conceptus limitabilis* est attributum Angeli immediatum, Attributum dicitur, cum *Actualitas* extræssentialiter denomi-

nec



net Angelum. Immediatum appellatur, quia Actualitas nullo interveniente proprio, sed immediatè ex Angeli essentiâ fluit.

3. (2) *Conceptus limitans* constat ratione (α) *materiali*, quæ est Angeli essentia. Hæc enim subiectat actualitatem. (β) *Formali*, quæ consistit in carentiâ potentia passivæ, quæ solet materiae esse propria. Cæterùm per hanc actualitatem non denegatur Angelo omnis potentia receptiva, cum ipse sit saltem actus purus secundum quid talis: sed solummodò potentia receptiva quæ ex materiâ resultat. Unde si accuratè philosophari velimus Actualitas Angeli est proprium quâ remotivum, quâ positivum. Removet enim potentiam passivam materiae propriam & ponit potentialitatem Angelo soli competentem, vi cuius potentiam receptivam admittit.

Ἀπόδειξις.

Utrumque, quod diximus demonstramus; & quidem prius ab Angeli immaterialitate: Cuicunq; convenit immaterialitas, illi etiam competit actualitas potentia passivæ ad materiam restricta & remota. At Angelo convenit immaterialitas E.

Majoris consequentia inde redditur firma, quia sicut materialitas includit potentiam passivam materiae propriam: ita immaterialitas, vi oppositorum, eandem excludit.

Minor patet ex definitione, in quâ Angelus ceu Spiritus finitur. Posterius assertionis nostræ membrum confirmamus, ab actus puri secundum quid talis quidditate. Quæ Spiritus est actus secundum quid purus, is & actualitate & potentialitate gaudet.

At Angelus est ejusmodi Spiritus qui est actus secundum quid purus, E. Angelus & actualitate & potentialitate gaudet.

Major à definitione actus secundum quid puri præcedit.

Minor probatur ab Angeli finitate, qui, cum aliquando caperit, & in esse, affici, atque effici dependeat à Deo, idcirco purus actus esse nequit.

#### DOGMA V.

Vita est Attributum Angeli immediatum penes quod ipse capax vitalium Angelo propriarum actionum denominatur.

Exθ.

I. Ad subiectum.

§. I. Terminus vitæ, jam non accipitur (I) sensu physico, pro vitâ cor-



tâ corporis animati, quâ illud vivit vitam l. *vegetativam* l. *sensitivam* l. *intellectivam*: sed sensu *pneumatico*, pro vita Spiritus intellectivâ, vi cuius, Spiritui intrinsecum sese per operationes vitales exerendi principium competit. Neq; tamen ita (2) in *sensu perfectissimo*, quatenus vita designat *vitam substantialem* soli Spiritui infinito propriam: sed prout notat *vitam accidentalem*, Angelo unicè competentem. Neq; (3) hoc modo accepta, significat, vel *principium internum sub ordine ad externas & transeuntes actiones tantum*, quale dici consuevit *Potentia*, l. *principium internarum & immanentium actionum duntaxat*; sed infert vitam, ab utroq; respectu ad actiones præcisam, ita, ut & illud & hoc includatur.

II. *Ad Prædicatum.*

S. 2. (α) *Conceptus contrahibilis* est attributum Angeli immediatum.

S. 3. (β) *Conceptus contrahens* complicat, tum *Materiale*, quod est Angelus: tum *Formale*, quod est capacitas vitalium actionum Angelo propriarum. Notanter autem vita Angelica dicitur consistere in *capacitate actionum vitalium* &c. cum respiciamus nunc non tam *actum secundum*, qui ex vitâ Angeli redundat, quàm *actum primum*, juxta quem Angelus aptus natus est, ad edendas actiones vitales. Cæterum quia vita intellectiva potissimum sese exerit intelligendo, volendo & operando externa objecta: idcirco actiones Angelorum vitales, ratione terminorum spectatæ, in duplici sunt differentiâ: aliæ enim sunt *primariae & intra Angelicam naturam agendo subsistunt*; ut intellectio & Volitio: alia v. est *secundaria & extra essentiam Angeli terminatur*: ut: potentia agendi externa objecta.

*Ἀποδ.*

*Vitam intellectivam ab actu primo & secundo præcisam Angelo convenire probatur.*

I. *Ab Angeli spiritualitate.*

*Quia est Spiritus finitus illud actuat se per vitales actiones. At Angelus est Spiritus finitus E.*

Major probatur: quia Spiritus est nobilioris conditionis ens, quàm quidem corpus, quod tamen operosum ab interno principio apprehenditur, esse solet. Si itaq; illud agens, quod materiam sibi

B

uni



unitam habet, quæ tamen potius actiones impedit, quam promovet, aptum existit, ad vitales actiones exercendas: multò magis in Spiritum, qui materiæ expers est, cadet nobilius agendi principium videl: Vita intellectiva. Proximus enim Entium gradus à corpore, est Spiritus. Minor ἐξαρῶνι Ⓞ censetur.

DOG M. VI.

*Compositio est attributum Angeli immediatum, vicujus ipse ex realiter diversis dicitur compositus.*

Exd.

I. *Ad Subiectum.*

§. 1. Non de compositione *Notionali* aut *Logicâ*, secundum quam aliquid ex Genere & differentia componitur: sed de *compositione reali*, nunc dispicitur. Neq; (2) de *Compositione Physicâ*, quæ in Angelum ob ejusdem immaterialitatem cadere nequit, sed de *compositione Pneumatica*, quæ Spiritui finito, eò quod ex subiecto & accidentibus constet, assignatur, nobis jam est sermo.

II. *Ad Prædicatum.*

§. 2. (α) *Conceptus Genericus* patet (β) *Conceptus Differentialis* post *materialem rationem*, dicit *complicationem principiorum realiter diversorum*. Sicut enim omnis creatura ex *esse* atq; *inesse* constat, ita ab eodem prædicato eximi nequit Angelus.

Αποδ.

*Angelum esse compositum, probatur.*

*Ab Angelicæ essentia potentialitate: Quic: Spiritus non est purus actus s. uniformis essentia, ille ex realiter diversis componitur.*

*At Angelus non est purus actus.* Est enim creatus Spiritus ac solus Deus eo axioma gaudet, ut purus actus excludens omnem potentialitatem, omnemq; compositionem inde redundantem, dici mereatur.

DOG M. VII.

*Inextensio est attributum Angeli immediatum, secundum quod ipse extendi nequit.*

I. *Ad Subiectum.*

Exd.

§. 1. *Inextensio* dicitur, quod quantitatis per partes dilatio, quâ corpus secundum longitudinem, latitud: & profunditatem extenditur, non cadat in Angelum.

§. 2. Accipitur autem *Inextensio* hîc loci (1) non *conceptibiliter*, prout



prout aliquid sub negatione extensionis citra' conceptus fundamentum concipitur: *sed realiter* pro re, quæ extensionem quantitativam non admittit. Neq; (2) *Grammaticè* quasi neget solummodò extensionem, cum hæc vox sit negativa, utp. composita ex particulâ negante IN, & extensio: *sed Pneumaticè* atq; *positivè*, cum ponat perfectionem extensioni quantitativæ oppositam. Neq; tamen in hoc sensu (3) sumitur pro *actû*, sed pro *statu* inextensionis. Atq; sic (4) non *indeterminatè*, prout nullum respectum ad subjectum inextensibile infert: *sed determinatè* in ordine ad spiritum finitum completum extensionis quantitativæ incapacem.

## II. Ad Predicatum.

§. 3. (1) *Conceptus communis* patet (2) *Conceptus proprius* exhibet p. *Materiale*, quod est *essentia Angelica*: p. *Formale* quod absolvitur *repugnantia* extensionis quantitativæ, ita, ut Angelo, vi inextensionis repugnet recipere extensionem, *tam secundum magnitudinem: quàm secundum multitudinem*. Hinc Angelus neq; longus, neq;ve latus, neq; profundus, juxta quant: continuam: neq; numerabilis, secundum quantitatem discretam, æstimari potest. Duo autem hoc formale involvit, *tum aliquid negativum*, quod Angelus ita inextensus sit, ut omnem extensionem respuat: *tum aliquid positivum*, perfectionem sc: imperfectioni, ex quantitatis extensione fluenti oppositam. Sicut enim extensio propriè dicta magnam importat imperfectionem: ita vice versâ inextensio magnam ponit perfectionem illi ex opposito respondentem.

*Atq;*

Inextensio superius explicata Angelo verè convenit. Id quod ab Angeli immaterialitate damus demonstratum. *Quod est immateriale illud est inextensum. At Angelus est immaterialis. E.*

Majori inde firma est, quia Materia est radix Quantitatis. Quantitas autem est materi extensionis. Quare ex ratione oppositorum sponte sequitur, quod si Ens aliquid destituatur materiâ, ipsum quoque destitui, tum Quantitate, tum Quantitatis prole, quæ est extensibilitas. *Minorem* in propatulo esse, arbitramur.

## DOGMA. IIX.

*Insensibilitas est Attributum Angeli immediatum, quo ipse sub externos sensus per se cadere nequit.*

B 2

ExB.



Exd.

I. *Ad Subj.* §. 1. Insensibilitas non accipitur jam *in sensu physico*, prout ipsa tanquam differentia dividit corpus vivum in plantam & animal; sed *in sensu Pneumatico* eoq; restricto, in quantum insensibilitas dicit affectionem Spiritus finiti, secundum quam ipse à sensibus perceptibilis non est.

II. *Ad Predic.* §. 2. Insensibilitas formaliter consistit in (negatione potentiae) impotentia sese directe repraesentandi sensibus. Cum verò Angelus sensibus *tum externis*, *tum internis* per se sisti nequeat; ideo etiam ipse per sensus cognosci nequit. Hinc per insensibilitatem removentur ab Angelo omnia sensibilitatis accidentia, *tum Quantitativa*, figura sc. & forma ex materia resultans; *tum Qualitativa* videl: Lux, color, sonus, odor, sapor, qualitates tactiles. Quapropter Angelus neq; per visum, auditum, olfactum, gustum aut tactum percipi potest, sed est & manet propter insensibilitatem, invisibilis, inaudibilis, inodorabilis, ingustabilis, intactilis. Removetur per insensibilitatem ab Angelo sensibilitas, quæ sensibus internis solet esse propria. Cum enim Angelus speciem sensilem potentiae sensitivæ non suggerat, quomodo deinceps sensui communi species ad se delatas recipere ac dijudicare? quomodo phantasiæ ex dijudicatis speciebus novas elicere dabitur?

Αποδ.

*Angelum non esse perceptibilem à sensibus confirmatur, ab ipsius immaterialitate. Omne immateriale est insensibile.*

*Angelus est immaterialis. E. Angelus est insensibilis.*

Major inde robur habet, quia inter *potentiam sensitivam*, & *inter subjectum*, quod species sensibiles de se spargere debebat, non datur proportio. Potentia siquidem sensitiva, species sensibilis, & objectum materialium mutuò se contuentur. Nam ab hoc procedit species sensibilis, hæc v. recipitur à facultate sensitiva. Ex adverso ubi objectum materiale deficit, ibi nec species sensibiles sperari possunt.

DOGMA IX.

*Illocalitas est attributum Angeli immediatum juxta quod ipse ex sua natura in loco esse nequit.*

Exd.

I. *Ad Subjectum.* §. 1. Illocalitas pro ejusmodi accidente nunc acci-



accipitur, quod localitatem ab essentiâ spirituali removet. Et cum sumatur in præfenti dogmate pro attributo Angeli, insinuabitur significatio Pnevumatica.

*II. Ad Prædicatum.* §. 2. Formalis ratio Illocalitatis est *in-  
pripitudo essendi in loco.* Sicut enim corpus dicitur locale, quod commensuretur loco: ita Angelus vocatur illocalis, cum ipse nullum locum occupare, aut ab eodem mensurari queat. Vi igitur Illocalitatis Angelus, neq; Palatium, neq; Museum, neq; hunc physicum locum sibi determinare potest, cum ipse solummodo sibi definiat in Palatio, in Museo &c. certum Alicubi.

*Ἀποδείξι.*

*Angelum illocalem esse probatur, ab ipsius immaterialitate.*

*Quæ est immateriale illud est illocale. Angelus est immaterialis E.*

Major inde constat: quia Materia est radix & Principium Quantitatis, juxta quam partes quantitativæ solent partibus loci commensurari. Vice versâ, si aliquid ens destituatur materiâ, si destituatur quantitate, nequaquam exigit localem occupationem. Minor à nemine sano negatur.

#### DOGMA X.

*Intemporalitas est Attributum Angeli immediatum, cujus beneficio Angelus non est in tempore.*

*Ex θ.*

*I. Ad Subj.* §. 1. Intemporalitas non *privativè* sed *negativè* talis dicitur. Ipsa enim dicit negationem temporis.

§. 2. Intemporalitas jam non accipitur *præcisè*, prout ea præscindit à duratione Spiritus *tam infiniti, quam finiti*: sed *limitatè*, in quantum ea ad certum Spiritus ordinem limitatur: non quidem ad spiritum simpliciter indefectibilem, & à parte ante, & à parte post: sed ad spiritum finitum completum, in ordine ad exclusionem temporis.

*II. Ad Prædicatum.* §. 3. (1) *Conceptus limitabilis patet* (2) *limitans præter Materiale, quod est essentia Angelica, infert Formale, quod consistit in carentiâ tum actuali, tum potentiâ successivæ durationis.* Sicut enim duratio corporis naturalis juxta motum Cœlestium corporum distingvitur, ita ejusmodi tractus essendi juxta motum astrorum continuatus, non reperitur in Angelis. Unde dist:

B 3

inter



inter esse in tempore & inter coexistere temporis. esse cum tempore. Angelus quidem coexistit tempori, ejusdemque operationes per temporis intervalla à nobis mensurantur: propriè tamen non est in tempore, adeò, ut temporis differentias juxta motum corporum Cœlestium admittat. Unde exulat ab Angelo per hoc attributum omne tempus s. sit præsens s. præteritum s. futurum: exulant anni, menses, dies, horæ &c.

Ἀποδείξις.

*Angelum esse intemporalem, probatur ab ipsius immaterialitate.*

*Quia caret materiâ, illud est intemporale. At Angelus &c. E.*

Major inde est firma, quia τὸ esse in tempore, per se insequitur materiam. Ex adverso, quicquid est immateriale, illud sequi per se non potest tempus. Hinc ab eodem exulat successio, tum secundum essentiam: quia suum esse simul habet: tum quoad motum astrorum: tum secundum partes post partes. Minor in confesso est.

DOGMA XI.

*Multitudo est Attributum Angeli immediatum, quo natura Angelica per individua est multiplicabilis.*

Enth.

*Ad Prædic. S. 1. Differentia hujus attributi petitur p. à subiecto quod est natura, non Divina vel Humana: sed Angelica. Hujus enim theoriæ charta præsens est mancipata. p. à Formali suo, quod consistit in multiplicabilitate Angelicæ essentiae per individua. Non autem saltem est multiplicabilis natura Angelorum; sed etiam actu per singularia multiplicatur. Quorum utrumque probamus.*

Ἀποδ.

*I. Multitudinem Angelorum possibilem: ab Angelorum finitate. Quia est finitum & creatura, illud per individua multiplicari potest. At Angelus est finitus & creatura E.*

Major quia nulla repugnantia involvitur, l. ex parte Dei facientis, qui est omnipotens: l. ex parte rei factibilis, quæ est obediens Minor est certa.

*II. Multitudinem Angel. actualem: à diversis, in diversis locis Obfessorum & oraculorum actionibus. Si diversæ actiones in diversis locis eodem tempore per obfessos, & oracula, à Geniis eduntur, sequitur, quod multi sint Angeli. At verum est prius per historiam. E. & posterius.*

DOGMA.



DOGM. XII.

*Ævum est attributum Angeli immediatum, quod ipse finali gaudet essendi indefectibilitate.*

Exd.

I. *Ad Subject.* §. 1. *Ævum* jam non expenditur 1. in sensu generalissimo, prout complicat omnem durationem, etiam temporalem, neq; 2. in sensu Metaphysico, in quantum ad affectionem Entis spectat. Sed 3. Pneumatico quatenus designat Angeli durationem.

II. *Ad Prædicat.* §. 2. (2) *Conc. contrahib.* patet. (2) *Conceptus contrahens* sinit p. *Materiale*, quod est Angelus. p. *Formale*, quod est finalis essendi indefectibilitas. Unde sicut *Ævum* constat tum ex quâdam essendi defectibilitate, sc: ratione initii: tum ex quâdam essendi indefectibilitate, p. respectu termini: ita Angelus â parte ante est defectibilis, cum ipse sit spiritus dependens, & initium agnoscat: â parte a. post, est indefectibilis.

Artd.

Angelum â parte post esse indefectibilem, probatur ab ipsius immaterialitate. *Qc: est immaterialis substantia, illud est indefectibile â parte post. At Angelus est immaterialis substantia. E.*

DOGM. XIII.

*Alicubitas est attributū Angeli immediatum, juxta quod ipse sic est alicubi, ut totus sit in quodam determinato spatio, & totus in qualibet ejusdem spatii parte, citra occupationem l. circumscriptionem.*

Exd.

I. *Ad Subj.* §. 1. Alio nomine dicitur hoc attributum. *præsentia Angeli definitiva*, non sensu passivo, quasi Angelus definiatur â certo spatio, sed activo, quod pro lubitu tibi definire possit Ubi, sistendo tamen intra limites finitos.

II. *Ad Prædicat.* §. 2. Formalis ratio Alicubitatis Angelicæ consistit in eo, ut Angelus sit (1) *in spatio determinato*. Per quod discernitur ab Ubiquitate, quæ nullis spatiis definibilis est, (2) *Citra spatii occupationem*: quo distinguitur, â circumscriptione præsentia, quâ corpus ita replet omnes spatii dimensiones, ut juxta se aliud corpus, ob impossibilitatē penetrationis dimensionum ferre non possit. Angelus, inquit Magnif. Dn. D. Calov. in Met. Div. p. 383. ita alicubi est, ut ab eodem Ubi, non excludantur vel mille alii

Ange-



Angeli. conf. B. Jacob. Mart. in Exercit. Met. p. 610. (3) *ut solus sit in toto, & totus in quâlibet spatii parte.* Ubi tamen dist. inter *essentiam* & inter *praesentiam*. *Ratione essentiae* potest Angelus esse, & in toto, quo sibi designavit spatium, & in quâvis parte spatii: non autem *ratione praesentiae*: Hæc enim ita definita est, ut tota quidem praesentia, totum Ubi definitivum requirat, partes verò & Ubi singulæ, ne utiquam requirant totum ejus praesentiam; cum id quod potest definitivè adesse, in sese sit *indivisibilis essentia, non v. praesentis simpliciter impartibilis*, quantum sc: ad actualē ejus designationem.

*Apod.*

*Alicubitas verè competit Angelo.*

*O spiritus finitus est alicubi. Angelus est spiritus finitus E.* Major inde liquet: quia esse in Ubi, est affectio Entis. Unde necessario spiritus finitus sit quoque in Ubi aliquo. Jam v. ipse in Ubi Repletivo esse nequit, cum hoc sit Ubi, Entis infiniti: neq; in Ubi circumscriptivo, cum hoc sit proprium corporis E. sit, necesse est, in Ubi definitivo. *Minor patet.*

DOGMA XIV.

*Intellectus s. scientia est attributum Angeli mediatum, secundum quod ipse per species intimè cognoscit Verum.*

*Exd.*

I. *Ad Subiectum.* S. 1. Intellectum jam non accipi per modum identitatis cum suâ substantia, qualis divinus Intellectus est; sed *realis diversitatis* à suo subiecto, substrata materia, quæ est Spiritus finitus indicat. Et cum exegetica Vox, *scientia*, adjungitur, insinuatur, formale intellectus Officium, quod est scientia. Ad scire enim ordinatur intellectus Angelicus.

II. *Ad Prædicat:* S. 2. (1) *Conceptus communis est attributum mediatum.* Finitur per *mediatum Attrib.* quia intellectus mediante vitâ Angelica, competit Angelo. Vita siquidem Angeli, sese quàm maximè actuatur per intellectionem atq; volitionem.

S. 3. (2) *Conceptus proprius absolvitur intellectus Angelici 1. Principio. 2. Objecto 3. Actus. Modo.*

S. 4. (a) *Principium Angelici intellectus s. scientiæ, aliud est ut Quod: aliud ut Quo.* (1) *Principium ut Quod*, est Essentia Angelica. Cum n. Angelus sit actus impurus, ideo non est principium suarum

rum



rum actionum *immediatum*, ita ut per suammet essentiam immediatè operetur; sed *immediatum*, adeò, ut mediantibus accidentibus suas exerceat actiones. Unde (2) *Principium ut Quo*, est l. *remotum*, Potentia videlicet intelligendi: l. *proximum* op. *species*, non *sensilis*; Angelus quippe est *immaterialis*, repudians omnem speciem sensilem corpori naturali propriam: sed *intelligibilis*, cum n. ipse nō cognoscat omnia immediatè (omnia namq; immediatè, citra interventum specierum intelligibilium cognoscere soli Deo est reservatum) species intelligibiles. Objectum intelligibile & Angeli intellectum copulantes, exigit.

§. 5. Hæ a. spectantur, l. *quoad varietatē*: & ita sunt p. *insite*, quæ Angelicæ naturæ à Deo creatore sunt inditæ, & occupantur circa Objecta naturalia atq; necessaria. p. *acquisite*, quæ non sunt concreata, sed actionibus Angeli acquiruntur, ac versantur circa contingentia. l. *quoad necessitatem*. Atq; ita species ad intellectionem Angelicam non requiruntur semper & ubiq; sed pro ratione objectorum *interdum postulantur: interdum non postulantur*. Si proinde Objectum est extra Angeli essentiam constitutum, tunc illud est l. *finitum* l. *infinitum*. Si est *finitū* tunc ministerium specierum intelligibilium exigitur, cum inter Objectum intelligendum & facultatem intelligentem, ut proportionatus sit contactus, debita deposcatur proportio. Sin v. objectum est *infinitum*, Angelus cognosciturus, specie uniente Objectum atq; cognoscens subiectum, non eget. Deus enim cum sit immensus, à seipso egredi non potest, ut sui speciem offerat, intellectui. Deinde, quādo objectū intelligibile est intra Angelum, ita, ut intellectus Angeli in suam essentia actu reflexo feratur, tunc nulla specierum intelligibilium indigentia hīc locum habet. Non minus enim Angelus seipsum, quā anima seipsam, citra species intelligibiles cognoscit.

§. 6. *Objectum intellectus Angelici* est l. *adequatum* sc. omne Ens: l. *Formale*, puta, *verum*. Atq; hoc formalitatis objectum exprimitur in nostrā descriptione. Cum autem *Ens* & *verum* materialiter convertantur, ideo cognito uno, cognoscitur & alterum.

§. 7. Objectum itaq; in quod fertur Angelicus intellectus est l. *Negativum*, quod sc. *Angelus nō cognoscit*. l. *Positivū*, quod Angelus cognoscit.

§. 8. (1) Ad *Objectum Negativum* pertinent 1. *Futura contingentia*, s. *eadem ut plurimum, s. rarissime fiunt*. Hæc n. cum ab Entitate sint elongata & à contingente causā dependeant, sub cognitionem Angelicam per se (citra peculiarem Dei revelationem) cadere nequeunt 2. *Actus liberi*: Hi

C

nam-



namq; cum naturæ sint contingentis, ita ut fieri & non fieri queant, Angelicum intellectum fugiunt. 3. *Affectus interni & cogitationes*. Hæ enim cum intra animum hominis sint, ideo ab Angelo, nisi ab eodem l. homini suggestæ, l. à Deo manifestatæ, percipi non possunt certo & infallibiliter: è signis tamen externis, motibus & affectibus probabiliter ab Angelis colligi possunt. *καρδιογνωσία* siquidem propria est solius DEI.

4. *Supernaturalia*. Hæc quippe, quia à voluntate Dei extraordinariâ dependent, excedunt, sine peculiari revelatione Dei, intellectû Angelicum.

§. 9. (II) *Ad Positivum Objectum spectat* 1. *Deus*. Cum n. hunc anima rationalis cognoscat naturaliter: multò magis eundem Angelus ex se apprehensivè atq; intuitivè cognoscat. 2. *Angelus*. Angelus etenim, non modò seipsum; sed etiam ob identitatem naturæ spiritualis, quam cum aliis Angelis fovet, in eorundem notitiam deducitur. 3. *Anima separata*. In has itidem ob communè spiritualitatem fertur Angelicus intellectus. 4. *Res materiales*. Has Angelus cognoscit, quia res immateriales utp. cognitu difficiliore, percipit. 5. *Necessaria futura*. In hæc etiam Angelica cognitio, ob necessariam effectûs cum causa cohesionem, penetrat.

§. 10. *Modus scientiæ Angelicæ consistit in cognitione compositâ & intuitivâ Angelicæ essentia propria*. Unde Angelica intellectio vi sui modi, est p. composita, p. intuitiva.

§. 11. (1) *Composita* est, quia cognitio Angeli, p. ex objecto & specie intelligibili: p. ex multis intelligendi actibus componitur. Prius patet. Angelus enim mediante specie intelligibili, uti superius vidimus, sibi objectû cognoscendum applicat & unit. Posterius a. inde confirmatur quia Angelus non cognoscit multa simul & unâ intellectione, sed distinctè & per certos conceptus, neq; tantùm per apprehensionem simplicium, sed etiam componendo ac dividendo; imò etiam discurrendo & unum ex alio concludendo: Etsi Angelorum intellectus humano sit perfectior, omniscius tamen non est, ut uno actu sciat omnia, sed finitus est ac manet, & quodvis peculiariter cognoscere opus habet. Quandoquidem Angeli nō omnia sciunt, aut simul cognoscunt, sed uti per experientiam, & à posteriori, per effectus & signa nonnulla indagant; ita discursu indigent, ut unum ex alio colligant & à notiori ad ignotius procedant. Quod pluribus confirmant Scotus, Gabriel Biel, Gregor: Ariminensis & alii.

§. 12. (2) *Intuitiva & clara* est. Angelorum n. intellectus partim perfectior est hominis intellectu, partim ex insito intellectûs clarissimo lumine



mine res intimè perspicie, intueturq;: non quidem simplicissimo intuitu, qualis Deo convenit, sed tali, qui in naturam finitam & Angelicam cadere potest, partim cum Angelus sit spiritus, à materiali conditione, in cognoscendo impediri nequit.

Αποδ.

*Intellectum excellentissimum Angelis convenire, probatur: ab ipsorum spirituali vita: Cuic. competit vita spiritualis, illi convenit intellectus. At Angelo. Major inde robur habet, quia vita spiritus, potissimum sese manifestat per intellectum atq; Voluntatem. Quæ facultates quoq; Angelicæ naturæ adeò intimæ sunt, ut non pauci, maximè tamen Scotistæ & Nominales ab essentiâ eas haud differre realiter statuunt. Minor patet ex Dogm. V. Et quia Angelus est excellentissimus spiritus finitus, ideo ipsi excellentiss. quoq; intellectus conveniat, necesse est.*

DOGMA. XV.

*Voluntas est Attributum Angeli mediatum, quo ipse bonum præcognitum liberè appetere potest.* Επθ.

I. *Ad Subj. §. 1.* Ob rei evidentiam & gratam brevitate nihil ratione subjecti nunc adducimus, quàm quòd secundum substratam materiam Voluntas non hominis, sed Angeli h. l. respiciatur.

II. *Ad Predic. §. 2. (1)* Conceptus latior ex evolutione Conceptus communis, in Dogm. IX. positi, innotescit.

§. 3. (2) *Conceptus strictior* desumitur p. à subj., p. ab objecto, p. à modo.

§. 4. (1) *Subiectum* est Angelica essentia. Hæc enim subiectat Angelicam Voluntatem; Hæc operosa est per Angelicam Voluntatem.

§. 5. (2) *Objectum* est l. *Naturale* videl. Ens, tam *infinum*, quàm *finium*. l. *Formale*, nempe *bonum* ab intellectu Angeli præcognitum. Nihil enim est volitum, nisi prius sit cognitum.

§. 6. *Modus* consistit in liberâ appetitione, seu quod liberè citra coactionem ad bonum feratur. Appetit verò Angelus liberè, *tum libertate contrarietatis*, quâ ad duos contrarios actus ipse liber est; potest quippe l. hoc l. illud appetere: *tum libertate contradictionis*, quâ circa unum objectum liber est, potest hoc l. appetere l. non appetere. Et quanquam potentiâ volitiva etiam cadat in animam rationalem, ea tamen quatenus Angelo tribuitur, longè perfectior est & nobilior. In homine Voluntas ab externis causis impediri potest, ut aliud nunc, quàm antea velit: potest etiam ab internis causis, ab affectibus, à corpore, ad aliud appetendum inclinari. Horum autem neutrum in Angelos cadit, quippe

C 2

qui



qui à nullo extrinseco, præter Deum, à nullo intrinseco principio, ad aliud, quàm elegerant, appetendum, deduci possunt.

Ἀποδ.

Voluntatem Angelis verè convenire probatur, tum ab Angeli vitâ, quæ per volitionem quàm maximè operosa est: tum ab Angeli potentia intellectiva. Quodc. enim Ens pollet intellectu, illud etiâ gaudet voluntate. At Angelus pollet intellectu. E.

DOGM. XVI.

Immobilitas est attributum Angeli mediatum, vi cuius Angelus non potest à loco in locum moveri. Exθ.

Ad Prædic. Formale hujus attributi consistit in negatione localis tendentia atq; progressionis. Angelus enim non ruit à loco in locum, cum ipse illocalis sit, adeoq; nullum locum occupet, sed saltem suum Aliubi variare potest.

Ἀποδ.

Angelum verè esse immobilem probatur ab Angeli Illocalitate: Quod est illocale, illud nequit locum mutare. Non entis enim nullæ sunt affectiones. At Angelus est illocalis, vi Dogm. IX. E.

DOGM. XVII.

Indivisibilitas est Attributum Angeli mediatum, per quod ipse divisionem in partes quantitativas non admittit.

Exθ.

Ad Prædicatum §. 1. Finitur per attributum mediatum. Indivisibilitas etenim, fluit ex Inextensione Angeli.

§. 2. Formale Indivisibil: absolvitur repugnantia divisionis in partes quantitativas.

Ἀποδ.

Quod diximus, probamus ab Angeli Inextensione: Quod inextensione gaudet, illud est indivisibile. Ratio est, quia quod recipit extensionem ad partes, quomodo illud divisionem in partes admittere posset? At Angelus, per Dogm. VII. gaudet inextensione. E.

DOGM. XVIII.

Potentia agendi s rerum productio est Attributum Angeli mediatum, penes quod ipse res potentia activæ & passivæ, producere potest.

Exθ.

Ad Prædicat. §. 1. Conceptus determinabilis est attributum mediatum. Mediatum insignitur, quia potentia Angeli, redundat ex Angelicâ vitâ.

§. 2. Conc. Determinans petitur (α) à Subiecto quod est Angeli essentia.

(β) ab



(C) *ab objecto*, quod est res potentiae ipsius activae possibilis. Res autem  
 possibiles sunt, quae non excedunt finitam Angeli potentiam. Magna  
 quidem est Angelorum potentia, imprimis *συνεργητικῶς*, in ordine ad  
 reliquas creaturas, cum non tantum plura, sed efficacius etiam, celerius  
 ac facilius efficere possint, quam aliae creaturae, (a materia enim spiri-  
 tuales substantiae non impediuntur): finita tamen est potentia Angeli-  
 ca, adeoque Deum longè plura Angelis posse, dubitari neque potest, neque  
 debet. Hinc Angelo possibiles sunt: *Res materiales*. Non quidem, ut An-  
 gelus easdem seu causa physica efficiat, sed ut activa naturalia, passivis  
 naturalibus applicet, & ita aliquem effectum producat v.g. tempestates,  
 pluvias producunt Angeli, quia causas naturales conjungunt, colligen-  
 tes nempe atomos aqueas, tanquam celerrimi spiritus, & inde reddentes plu-  
 vias. Penitus n. Angelus cognoscit latentes rerum naturalium vires,  
 quam ullus homo nudus: longe etiam accuratius materiae novit dispo-  
 sitionem, astrorum perspicit influxum, inclinationem ac positum, quam  
 homo. 2. *Qualitates spirituales*. Potest etenim Angelus suos conceptus  
 Angelo & homini manifestare, atque ita cognitionem ingenerare, quae  
 est qualitas spiritualis. 3. *Actiones ipsius naturae respondententes*. Contra verò  
 cum finitam potentiam superent. 1. *Creatio*. 2. *Annihilatio* 3. *Miraculorum*  
*patratio* 4. *Specierum physicarum transmutatio*: hinc nullum horum  
 possibile est Angelo. Deinde propter immaterialitatem & benedictio-  
 nis divinae absentiam *Generatio vel Corporis* l. *Spiritus*, Angelo est impos-  
 sibilis.

Atod.

Angelum esse spiritum potentissimum demonstramus ab eius Vita spiri-  
 tuali. Quae vivit vitam spirituale, illud agendo est potentissimum. Non enim a ma-  
 teria, quae multas actiones impedire solet, impeditur, sed actuosissimum  
 Ens est. Et sicut Angelus summum creaturarum constituit gradum; ita  
 etiam summam potentiam praeditus sit necesse est. Atque Angelus vivit vitam  
 spirituale. E. Min. certa est ex Dogm. V. DOGM. XIX.

Potentia loquendi est Attributum Angeli mediatum, quo ipse conceptum suum  
 aliis, modo peculiari, potest manifestare. Exib.

I. Ad Subject. Loquela hic non accipitur physice & materialiter,  
 prout ad loquelam organa corporea, aer, &c. requiruntur: sed pneuma-  
 tice & formaliter, pro conceptuum manifestatione.

II. Ad Prædicat. §. 2. (1) Genus est attributum mediatum. Mediatum  
 appellatur, eò quod ex intellectu Angeli fluat.

§. 3. (2) Differentia exprimit (a) Subjectum: quod est Angelus. (C) Ob-

C 3

jectum



jectum, cui sc. loqui possit Angelus. Et hoc est cum DEUS: cum alii Angeli: tum homines. (γ) *Modum*: qui planè est peculiaris, ac neq; à naturâ, neque à scripturâ, satis explicatus. Colligimus tn. p. ex finitâ Angel. spiritualitate, p. ex *Objectorum*, quibus ipse loquitur, *qualitate*; Angelum loqui (1) ad DEUM, sine interveniente specie intelligibili. Angelus namq; satis proportionatus & approximatus est Deo, adeò, ut nulla species uniens manifestantem & cognoscentem, sed nuda conceptum & desideriorum ad Deum directio, deprecatur. Deus n. est omniscius & perfectissimo modo cognoscit. (2) *Ad Angelos*, per impressionem specierum intelligibilium, intuitive representantium interiorum mentis actum. (3) *Ad homines*, intus in eorum animo aliquid dicendo: uti censet B. Gerh. in *Angelog.* sect. prior: art. 2. p. 3. §. 13. p. 40. vel, qn. Angelus formam assumpsit humanam, vocem & loquelam hominis articulatè imitando. Velut ex divina revelatione constat. Ἀποδ.

*Loquelam verè convenire Angelo confirmatur ab ipsius intellectuali vita. Qc. vivit vitam intellectualem, illud conceptus suos aliis communicare potest.* Ratio est, quia ejusmodi vita sese actuat non modò conceptus ad intra formando: verum etiam ad extra manifestando. At qui Angelus vivit vitam intellectualem: quemadmodum ex Dogm. V. constat. E.

DOGMA XX,

*Diversitas est attributum Angeli mediatum, quo unus Angelus ab alio differt.* Exd.

I. *Ad Subject.* §. 1. Non respicimus jam diversitatem *Genericam*: neque præcisè *accidentariam*; secundum quam Angelus ab Angelo differt respectu certorum accidentium l. *malitiæ & bonitatis*, l. *ordinis & functionis*. Sed *essentialem ac quidditativam*, quâ Angelus ab alio, ratione essentiali distinguitur.

II. *Ad Prædicat.* §. 2. (1) *Conceptus communis est attributum Angeli mediatum.* Per *mediatum* finitur, quia diversitas Angelorum dependet ab eorundem multitudine. §. 3. (2) *Conceptus proprius* expeditur partim per *Materiale*, quod est Angelica essentia: partim per *formale*: quod est diversitas Angelicæ essentiali propria: Hæc a. restricta diversitas, an sit *specificam*, num verò *numericam*, neq; ex ratione, neq; ex revelatione a. podicticè determinari potest. Concedere possumus *equidem possibilem Angelorum specificam diversitatem*: Cum n. Angeli conveniant in naturâ intellectuali completâ, non repugnat, eos naturam illam communem habere, juxta varios essentialis atq; específicos modos, dum in intelligendo, possint varii esse intelligendi modi, unde specificatio ista resultet; neq;



neq; ullum indicium appareat, cur illa ad diversas species multiplicatio, repugnet Angelicæ naturæ: nihilominus tamen *actualem Angelorum specificam diversitatem demonstrare, non possumus*. Nam quòd Angeli de facto sint specie diversi, valdè est incertum. Cùm non solum Deus, Creator Angelorum, sit ens liberrimum, adeoq; & specie & numero diversos creare potuerit: sed etiam, quod eosdem specie diversos fecerit Deus, neq; per *Scripturam*; neq; per *naturam* sufficienter constet. Manet itaq; probabilior sententia, Angelos potius numero, quàm specie differre: esse potius individua unius ejusdemq;, quàm diversæ speciei. Id quod ostendimus 1. *Ab Angelorum multitudine*. *Quæ: multa sunt, ea ad minimum numero differunt. At Angeli sunt multi* E. Minor ex inductione rerum dispalescit. Minorem confirmat Dogma XI. 2. *Ab hominis collatione*. Si in naturâ humanâ tantum numerica est diversitas, sequitur quod eadem quoq; obtineat in Angelica naturâ. At verum est prius E. & posterius. Majoris connexio inde claret, quia quò proximior est Deo Entium gradus, eò pauciores admittit species. Minor per se patet.

## SECTIO II. PROBLEMATICA

*fistens.*

*Doctrinam Angelorum controversam.*

*Q. I. Utrum naturaliter produci possint infiniti Angeli?*

*Enb.*

I. D. inter *productionem mentalem*, quatenus à nobis infiniti concipiuntur Angeli: & inter *productionem realem*, prout reverà citra, mentis nostræ fictionem, infiniti statuuntur producibiles Angeli. Non de illâ sed de hâc quæritur productione.

II. D. Inter *infinitatē ratione rei*: & inter *infinitatem ratione nostri*. Non quæritur an *ratione nostri* aut sint, aut produci, queant infiniti Angeli, adeò, ut, quia ignoramus determinatū Angelorum numerum, ideo infiniti statuendi sint Angeli: sed utrum ratione sui, tum *ex parte producentis*: tum *ex parte rei producibilis*, infiniti existere possint Angeli?

III. D. inter *impossibilitatē ex parte DEI*: & *ex parte Angeli*. Non admittendum est, ideo Omnipotentiam Dei labefactari, quod infiniti Angeli fieri nequeant; sed hoc saltem inferendum, quòd implicet, creaturâ in infinitum extendi posse. Sicut vero hæc quæstio à Roder: de Arriaga Disp. 13. Phys. s. 4. n. 46. affirmatur, dum scribit: *Rogabis utrum naturaliter possit dari aliquod infinitum?* Respondeo. *In Angelis non esse ullam rationem cur non possint naturaliter infiniti produci, quia productio unius, non exigit, ne alius producatur. Item neq; exigunt spatium extensum, in quo sint, quia omnes possunt esse*

*in so-*



in eodem loco: Deinde etsi exigerent, spatia sunt infinita: Ita eadem à nobis negatur.  
Negativa verò probatur. <sup>Ἀποδείξ.</sup>

I. Ab Angelorum finitate. Qc. est spiritus finitus, illud non est admissibile infinitatis.  
At Angelus est spiritus finitus. Maj. certitudo inde est, quia finitum & infinitum esse,  
opponuntur sibi contradictoriè. Minor inter omnes constat.

II. Ab infiniti unitate, si duntaxat unum potest esse infinitum sequitur quod nequeat  
esse infiniti Angeli. At verum est prius E. & posterius.

## II. Q. Anne auditio cadat in Angelos?

<sup>Exθ.</sup>

I. D. inter auditionis actum primum: & inter actum secundum. De illo, potissimum  
disquiritur: numne sc. potentia audiendi Angelis convenire possit?

II. D. inter Auditionem materialiter spectatam, prout ipsa per certa organa corpora  
expediri solet: & inter auditionem formaliter sumptam, quæ auditio consistit in clarâ a-  
ctus interioris per speciem intelligibilem impressam intuitione. vid. B. Scharf. Pnev-  
mat. p. 370. Illo modo, auditio non cadit in Angelos, propter eorundem immateriali-  
tatem, adeò, ut cum Angelus destituatur aure tum internâ, tum externâ, audibile  
objectum physicè percipere nequeat. Hoc autem modo, admittimus.

<sup>Ἰδεν.</sup>

Auditio formaliter accepta, prout dicit actus interni per speciem impressam, in-  
tuitionem, Angelo tribuenda est. <sup>Ἀποδ.</sup>

Qc. Spiritus actus internos per species impressas, communicatos intuitivè cognoscit, ille for-  
maliter audit. At Angelus. & c.

Major procedit à formali auditionis Pnevumaticæ. Minor ex Dogm. 14. patet.

## III. Q. Quomodo Angeli in intellectu nostro concipiuntur?

Resp. Ut incorporei & immateriales. Modus n. concipiendi, sequi debet modum es-  
sendi. Huc spectat, quod B. Danhau. in Colleg. Psychol. p. 194. habet. De Angelis, scri-  
bit magnus Philosophus & Theologus, concipimus illos esse incorporeos & immate-  
riales, qui conceptus non competunt rebus materialibus, secus eas intellectus noster  
non cognoscit conceptu proprio, quia Angelus repræsentatur e. g. per speciem alic-  
nam: intelligimus n. Angelum ad modum cujusdam formosi Juvenis, habentis alas.

## SECTIO III. AXIOMATICA,

<sup>tradens</sup>

### Doctrinam porismaticam.

#### AXIOMA.

1. Angelus perfectè à nobis cognosci nequit. <sup>Exθ.</sup>  
Sc. ex libro Naturæ 2. quamdiu in hac vita degimus, Ratio Axiom. est quia differen-  
tiam specif. Angeli ignoramus. Deinde quia cognitio nostra de Angelis ex lumine  
naturæ profecta, valde suppletur & augetur per lumen scripturæ.

II. Attributione Angelorum non imperfectionem sed perfectionem dicunt. <sup>Exθ.</sup>

Omnis enim affectio propriè dicta non est sui subjecti destructiva sed perfectiva.  
2. singulorum Angeli attributorum perfectio ex inductione probari potest.

III. In Angelos cadit fortuna. <sup>Exθ.</sup>

Quia ipsis præter intentionem, ob eorundem finitam & limitatam, tum scientiam,  
tum potentiam, eventus contingere potest.

IV. Angelorum numerus nobis est ignotus. <sup>Exθ.</sup>

Sc. certus & determinatus. Nam quantum Angelorum sit numerus, & num major  
sit hominum numero, ita ut plures sint Angeli, quam quidem sunt homines, neq; ex  
natura, neq; ex scriptura nobis innotescit. SOLI DEO GLORIA.



05 A 493

ULB Halle 3  
004 208 005




WOM











I. N. J. C. C. 12

THEORIA PLENIOR

# ANGELORUM

*sistens*  
eorundem naturam, quâ momentum  
primum, quâ secundum

*2ve* *Perl.*  
P R E S I D E  
*VIRO Præcellenti atq; Præclarissimo*  
DN. M. GEORGIO WAGNERO  
Colleg. Phil. Adjunct.

à  
JOHANNÉ BRIESMANNO

Luccâ-Lusat.  
*Amicæ philosophantium collationi*  
*d. 29. Jun. Ann: M. DC. LXVII.*  
In Auditorio Majori, horis consvetis  
subjicitur.

---

WITTENBERGÆ,  
In Officinâ Typographica FINELIANA scripsit MICHAEL MEYER,  
ANNO clō lōc LXVII.

